

proprietas, et interdum poterant facere aliquid opus quo ostenderent talem legem scriptam in mentibus suis, ut in sequenti tractatu de gratia latius dicemus. Neque hoc est contra singularem prærogativam legis gratiæ; tum quia lex illa non fuit supernaturaliter indita et infusa, sicut promissum erat de lege nova; tum etiam quia, licet lex naturæ ita sit scripta in mente ut non possit omnino deleri, et licet per impulsum sit aliquo modo in voluntate, quatenus naturaliter ad honestum inclinatur, nihilominus ita est per concupiscentiam et corporis infirmitatem impedita, ut sine auxilio gratiæ nec impleri possit, nec ab erroribus pura servari: lex autem gratiæ ita imprimatur mentibus per virtutem spiritus, ut det etiam vires quibus et conservari possit, et suaviter observari.

CAPUT IV.

QUANDO CŒPERIT LEX NOVA OBLIGARE TAM POPULUM JUDAÏCUM QUAM UNIVERSUM ORBEM.

1. *Obligatio legis novæ.*—Explicatis causis legis novæ, dicendum sequitur de ejus effectibus, inter quos obligatio est quasi formalis et intrinsecus effectus, ut supra de lege in communi dictum est; et ideo ab illo incipimus, simulque promulgationem necessariam ad hanc obligationem et personas ad quas extendatur, declarabimus, quoniam hæc omnia inter se connexionem habent. Et quia tunc lex incipit obligare, quando incipit esse plene et perfecte constituta, ideo simul explicandum erit initium legis novæ. De quo D. Thomas, q. 106, art. 3, inquit cur non fuerit data a principio mundi, et optimas rationes adducit. Præcipua vero est quia abundantia gratiæ et perfectio non debuit dari, donec auctor gratiæ illam hominibus mereretur, ut sumitur ex Joan. 7, et ad Rom. 8. Ex qua ratione colligitur, quæstionem hanc pendere ex alia, cur Christus Dominus non statim venerit in principio mundi, quæ in materia de Incarnatione sufficienter tractata est. Dicunt vero aliqui, quatenus gratia ipsa vocatur lex gratiæ, eatenus dici posse legem gratiæ datam esse hominibus a principio mundi, quia gratia et fides semper hominibus communicata est. Sed hic modus loquendi inusitatus est; nam eo modo quo nomen legis gratiæ tribuitur gratiæ, solum gratiæ evangelicæ, id est, perfectæ et abundantis, tribuitur. Unde illa potius dicitur lex naturalis vel connaturalis

gratiæ, hic vero de positiva lege divina per Christum data sermo est, de qua constat non potuisse ante Christi incarnationem incipere. Supponimus deinde legem hanc vim habere obligandi in conscientia per præcepta sua. Hoc est certum de fide, et plane intentum a Concilio Tridentino in definitione sua, sess. 6, can. 19, 20 et 21; et hoc probant omnia adducta in primo capite. Supra enim ostensum est legem veram et justam obligare in conscientia: ergo maxime lex Dei. Hæc autem est vera lex et divina: ergo maxime obligat in conscientia. Deinde hoc per se constat in præceptis moralibus, et de præceptis sacramentorum id tractatur in suis locis.

2. Secundo, suppono ut certum hanc legem, ex intentione Dei et Christi, latam esse pro universis hominibus viatoribus, quod est de fide certum, et constat ex verbis Christi Matth. ult.: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, etc.*, ubi præmittit potestatem universalem, ut inferat legem esse universalem pro toto mundo, et ideo omnibus hominibus esse prædicandam: *Docentes, inquit, eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*; sic etiam Marci ult. dixit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et hoc ipsum prædictum fuerat per David, Psal. 2: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*; et infra: *Reges eos in virga ferrea, id est, inflexibili et justa.* Et consonat illud Isa. 2: *Elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et ad hoc ipsum confirmandum valent omnia testimonia Scripturæ, quæ sunt de vocatione gentium, Psal. 106, Isai. 49, et similia. Item revelatio facta Petro Actor. 10, et definitio Concilii Apostolici Act. 15, in quibus locis tanquam manifestum supponitur hanc legem pro Judæis latam esse, et etiam gentes comprehendere.

3. *Confirmatur.*—Quin potius multi Judæi tunc credebant et docebant non fuisse prædicandum Evangelium Gentilibus, quia promissiones factas Abrahamæ solis Judæis esse factas contendebant. Quem errorem brevi sermone repulit Petrus Act. 11; latissime autem refutat Paulus in Epist. ad Roman., radicem ejus ostendens. Quæ erat, quia Judæi de suis ope-

ribus secundum legem factis præsumebant, et propter illa putabant ipsis solis datum esse Christum, et omnia ejus bona et consequenter etiam legem. Paulus autem ostendit gratiam Christi gratis dari, et ideo in Christo non esse distinctionem Judæi et Græci, nec circumcisionem aut præputium aliquid valere, sed fidem per charitatem operantem, quæ, quantum est ex parte Christi, omnibus sine discrimine communicatur. Ex quo principio colligitur ratio a priori assertionis, quia Christus est Redemptor universalis omnium hominum; ergo etiam est legislator omnium, diverso tamen modo. Nam fuit Redemptor omnium hominum, etiam illorum qui Christum ut hominem præcesserunt, et qui a principio mundi fuerunt, quia pro illis satisfecit, et per merita ejus prævisa justificati sunt. Legislatoris autem munus circa præcedentes exercere non potuit, quia jam non erant viatores, pro quibus solis datur lex. Circa omnes autem qui tempore adventus Christi vivebant, vel postea futuri erant, exercere potuit Christus munus legislatoris, et ideo sicut omnes redemit, ita omnes sua lege obligavit, quia per observationem hujus legis salutem et redemptionem ejus participaturi erant. Denique hac ratione Ecclesia Christi non est particularis, sicut antiqua Synagoga; sed est Catholica, ut habetur in Symbolo, id est, universalis quoad loca, et personas, et tempora, ab institutione Christi: ergo et lex universalis est.

4. *De tempore obligationis legis novæ.*—*Prima opinio.*—Modus prædictus opinandi tripartitus. — His ergo positus, difficultas est quando cœpit hæc lex homines obligare. Et quoniam mihi certum est incepisse a Judæis, juxta illud Pauli Actor. 13: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei*, etc., ideo prius de illis dicemus, et postea de gentibus. Est igitur multorum opinio legem novam cœpisse obligare priusquam cœpisset ab Apostolis promulgari in die Pentecostes. Modus autem hic opinandi tripartitus est. Nam quidam dicunt cœpisse obligare ante mortem Christi, saltem quoad ea quæ tunc Christus instituerat, verbi gratia, quoad Baptismum, quem ut necessarium jam proposuerat, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*; nam Augustinus, lib. 1 de Origine animæ, in c. 9, dicit: *Ex quo illud a Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine Baptismo aquæ, vel sanguinis.* Hæc vero opinio probabilis non est. Unde in hoc distinguendum est inter doctrinam fidei et legem, et inter obligationem cre-

dendi et observandi legem. Ante mortem enim Christi, ex ejus doctrina sufficienter audita, et percepta ejus contestatione per miracula vel per alia signa, statim oriebatur obligatio credendi, quia præceptum fidei, ut supra dicebam, quoad hoc non est positivum, sed naturale, supposita revelatione, id est, connaturale illi. Et ita obligati fuerunt Judæi, etiam vivente Christo, ad credendum illum esse Messiam, et consequenter obligari potuerunt ad parendum illi, saltem in animi præparatione, id est, in proposito obediendi si quid præciperet. Quia de Messia prædictum erat Deut. 18: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Similiter Petrus, ex eadem obligatione, credidit Christum esse filium Dei vivi, quia jam hoc Pater ei sufficienter revelaverat, media ejusdem Christi prædicatione. Neque ad hanc obligationem erat necessaria aliqua mora, vel major promulgatio publica; quia, ut dixi, hoc præceptum naturale est, supposita sufficienti propositione doctrinæ, et ideo non requirit aliam promulgationem præter sufficientem doctrinæ propositionem: unde si privatim facta fuerit uni vel alteri, illos obligabit; si vero publice, obligabit audientes; in reliquis vero nulla inde oriatur obligatio, juxta verbum Christi Joan. 15: *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

5. *Status quæstionis magis aperitur.*—In præsentem ergo non tractamus de hac obligatione credendi, nec de præcepto quasi naturali ex quo illa nascitur, sed loquimur de lege Christi, prout est positiva divina. In qua tria illa distingui possunt, quæ supra in lege veteri distinximus, scilicet, insitutio, utilitas et obligatio. De institutione igitur etiam non tractamus, cum constet, quoad aliqua hujus legis sacramenta, incepisse institutionem ejus ante Christi mortem, ut de Baptismo, de Eucharistia, de Sacerdotio et de Sacrificio, et si quod fortasse aliud nocte Cœnæ peractum est; quoad alia vero, esse institutionem consummatam post Resurrectionem, ante Ascensionem Domini, ut quoad sacramentum Pœnitentiæ, episcopalem ordinem, et Ecclesiæ monarchiam, et si quod aliud ex tribus residuis sacramentis antea traditum non fuerat, quæ omnia in suis locis tractata sunt. Deinde non tractamus etiam de utilitate, quia hæc etiam cum institutione incepit, juxta veriorum doctrinam: nam Baptismus, simul ac institutus

est, integre et perfecte est institutus, et ideo statim accepit virtutem sanctificandi, juxta doctrinam D. Thom., 3 p., q. 66, art. 2 ad 4. Et idem a fortiori verum est de Eucharistia et de Ordine, ac sacrificio quoad suos effectus seu utilitates. Neque in his occurrit aliqua difficultas hujus loci propria; quæ vero spectant ad doctrinam de Sacramentis, in suis locis tractata sunt. Agimus ergo solum de obligatione, quam etiam subdistinguere possumus in privatam, seu secretam, quæ potest provenire ex præcepto privatim dato, et ut sic non transcendit personas quibus imponitur, quam nunc etiam non consideramus, quia de propria lege tractamus. Alia est ergo obligatio publica et imposita communitati perfectæ, quæ a propria lege provenit, et de hac inquirimus utrum ante Christi passionem incepit.

6. *Prædictus modus opinandi refellitur.*— In hoc ergo sensu dico recitatam opinionem mihi non videri verisimilem, quia de præcepto Baptismi supra ostensum est non obligasse ante Christi mortem, quæ est communis sententia theologorum cum D. Thom., d. q. 66, et in 4, dist. 2, q. 1, art. 4, q. 3, et dist. 3, art. 5, quæst. 3. Et hac ratione supra etiam diximus præceptum circumcisionis non cessasse ante mortem Christi, quia necessitas Baptismi non incepit, nec verba Christi privatim dicta illam induxerant, sed ad tempus in quo erat ferendum præceptum referebantur. Unde Matth. 19, juveni interroganti: *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam*, Christus respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; et statim ponit præcepta Decalogi, nulla facta mentione Baptismi, quem certe non tacuisset si jam esset ad salutem necessarius. Idemque a fortiori est de præcepto Eucharistiæ et unici sacrificii: nullum ergo est positivum præceptum legis Christi, quod ante ipsius mortem per modum Testamentum novum non erat ante mortem Christi confirmatum, ut dicitur ad Hebr. 9; neque erat confirmatum pactum, et foedus promissum Jer. 31, et ideo non debuit tum obligare. Propria vero ratio est, quia nullum præceptum hujus legis publice prædicatum fuit, vivente Christo, tanquam ad salutem necessarium: ergo nullum potuit ut lex publica obligare. Unde non refert quod fortasse Christus suo præcepto obligaverit Apostolos ad se baptizandum, vel quod in nocte Cœnæ obligaverit illos ad offerendum eucharisticum

sacrificium per illa verba: *Hoc facite*. Nam primum incertum est, et illo dato, illud solum fuit per privatum ac personale mandatum; sicut etiam in nocte Cœnæ præcepit Petro ne ablutioni pedum resisteret. De secundo vero, licet verum sit illa verba fuisse præceptiva, et potuisse ex tunc Apostolos obligare, tamen etiam tunc non habebant illa verba statutum (ut sic dicam) legis universalis, et ita non obligabant Apostolos, nisi per modum privati præcepti suo tempore observandi: certum est enim non ita tunc obligasse, ut ante Christi mortem esset ab Apostolis exequendum.

7. *Secunda opinio.*—Omisso ergo illo tempore, multorum opinio est legem novam obligasse in puncto mortis Christi. Et fundamentum est, quia tunc fuit Testamentum novum consummatum, ac plene confirmatum, ad Hebræos 9; ergo ex tunc habuit etiam vim obligandi, et consequenter statim obligare incepit. Probatum consequentia, quia quodlibet pactum sufficienter consummatum statim obligat, et testamentum morte confirmatum statim inducit obligationem, quam de se potest. Confirmatur, quia Christus, dum viveret, sufficienter doctrinam suam et legem promulgavit; ergo, ut obligare inciperet, nihil aliud desiderari potuit nisi ut redemptio Christi per mortem ejus consummaretur. Tandem aliqui hoc confirmant, quia lex vetus in puncto mortis Christi mortua est quoad obligationem; ergo tunc etiam lex nova incepit, juxta principium supra positum, quod una lex non cessavit donec altera obligavit. Et hæc sententia tribuitur divo Thomæ in 4, dist. 2, q. 1, artic. 4, quæstiunc. 3, quatenus dicit sacramenta legis novæ quoad utilitatem diversis temporibus fuisse instituta, quoad necessitatem vero omnia simul in passione. At vero 3 p., q. 66, art. 2, hoc magis explicans in Baptismo, dicit *necessitatem utendi illo sacramento indictam esse hominibus post passionem et resurrectionem Christi*; et magis id declarat in eodem 4, dist. 3, q. 1, art. 1, quæstiunc. 3, dicens *Baptismum fuisse obligatorium post passionem, quantum ad omnes ad quos potuit institutio pervenire*. Itaque D. Thomas magis indicat sententiam quam postea explicabimus. Pro hac vero referri possunt theologo qui in 4 dicunt Baptismi obligationem et necessitatem a morte Christi incepisse, ut Durand., dist. 1, quæst. 9; Richard. 1, q. 6; et Palud., q. 6, art. 5; et Adr., q. 1; et sequuntur multi moderni in præ-

senti. Soto vero, l. 1 de Just., q. 5, art. 4, addidit non in puncto mortis, sed in puncto resurrectionis, cœpisse obligare legem novam, quod aliqui moderni secuti sunt. Sed hæc differentia parvi momenti est, et sine fundamento constituitur, ut supra in simili ostendi circa cessationem legis veteris, et ideo de illa differentia nihil amplius dicam, sed de tota hac sententia idem judicium feram.

8. *Refellitur prædicta opinio.*— Mihi ergo hæc opinio nullo modo probari potest. Primo, quia nullum præceptum positivum hujus legis assignari potest, quod in morte Christi cœperit obligare: ergo multo minus potuit tota lex obligare, cum lex propria de qua tractamus non sit nisi præceptorum collectio. Antecedens patet, quia si aliquod esset, maxime præceptum Baptismi; sed non illud: ergo nec cætera. Major patet, tum quia Baptismus est janua ad Ecclesiam; tum etiam quia fuit primum institutus et ad usum applicatus; tum denique quia etiam ejus necessitas primo est annuntiata. Minor vero late probata est 3 tom. 3 partis, disp. 27, sect. 4; et nunc breviter ostenditur, quia non potest præceptum obligare priusquam incipiat publice prædicari, seu promulgari; sed præceptum Baptismi non est promulgatum vivente Christo, ut constat ex Evangelio, et docet D. Thom. supra. Et hæc ratio probat de omnibus præceptis positivis legis novæ, quia nullum est quod vivente Christo fuerit publice promulgatum. Nam licet Joan. 6 dixerit Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, nihilominus non potuit tunc præceptum ferri, cum nondum esset Eucharistia instituta: solum ergo fuit prænuntiatum. At vero lex non obligat priusquam promulgetur: ergo nec lex Christi potuit obligare in vita ejus: ergo nec in morte ejus, quia non magis fuit promulgata in morte vel resurrectione, quam in vita, ut in superiori libro etiam dixi.

9. *Responsio aliquorum.*— *Refellitur responsio.*— Respondent aliqui in lege divina non esse necessariam publicam promulgationem, sicut in humana, quia in humana solum est necessaria ex humana institutione, quæ non extenditur ad legem divinam, nec etiam invenitur specialis Dei institutio, quæ hanc postulet conditionem ad suarum legum obligationem. Sed non satisfacit, quia promulgatio legis ex natura rei est necessaria saltem in lege propria extra legislatorem existente, ut in l. 1 late declaravi. Dico autem *extra legislatorem existente*, propter le-

gem æternam, ut etiam exposui in l. 2, ubi etiam in lege naturali suum modum promulgationis declaravi. Propriissime autem necessaria est promulgatio in lege positiva, non quia est humana vel divina, sed quia hominibus datur, et secundum ordinariam providentiam debet modo hominibus accommodato illos obligare. Non potest autem communitas hominum publica lege obligari, nisi communitati proponatur sufficienter, ita ut naturaliter possit ad illius cognitionem pervenire; nam lex ignorata non obligat, et quæ ex parte sua cognosci non potest, neque obligare potest: ergo talis propositio sufficiens, est ex natura rei necessaria, et hanc vocamus promulgationem. Modus autem promulgationis solet esse in legibus humanis ex institutione humana. Nos autem non postulamus illum modum in lege divina, sed tantum promulgationem; nam modum definiat Deus, sicut unum determinavit in lege veteri, et alium ordinavit in lege nova. Et confirmatur ac declaratur, quia lex divina non potest obligare ad impossibile: ergo nec potest obligare modo impossibili: sed impossibile est communitatem obligari lege privatim data, vel facta, nisi publice tradatur, quia est impossibile a communitate cognosci, donec divulgetur, et notitia ejus fiat aliquo modo publica; ergo hæc conditio necessaria est, etiam in legibus divinis. Cum ergo ante Christi mortem hæc promulgatio facta non sit, ut ostendi, non potuit in morte vel resurrectione Christi hæc lex obligare, donec quod in aure dictum erat, *super tecta prædicaretur*, ut Christus Dominus Matth. 10 imperavit.

10. *Obligationem legis novæ non incepisse in morte vel resurrectione Christi.*— Concludo igitur obligationem hujus legis non incepisse in morte vel resurrectione Christi. Quod potest confirmari primo, quia alias ex tunc obligasset universos homines et totum orbem: consequens autem est incredibile. Sequela patet, quia non est major ratio de Judæis quam de gentibus, quia pro omnibus consummata est redemptio, et pro omnibus instituit Christus Baptismum et alia sacramenta, et pro omnibus dixit: *Nisi quis renatus fuerit*, etc.; et: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc. Et similiter non est major ratio de una parte orbis quam de alia, quia si non est necessaria promulgatio, sed voluntas legislatoris sufficit (ut dicitur), non est ulla ratio ob quam potius in uno quam in aliis locis obligaverit, cum voluntas Dei de se generalis

fuerit, obligans omnes homines et universum mundum per hanc legem. Consequens autem esse incredibile patet; tum a priori ratione facta, quia erat impossibile illam legem innotescere in illo momento toti mundo, vel omnibus hominibus; tum a posteriori ex absurdo, nam sequitur in eodem puncto abrogatum esse remedium originalis peccati datum pro infantibus, sive Judæis, sive gentibus, quod credi non potest de divina providentia et misericordia, ut sæpe dixi, et iterum statim dicam. Sequela vero patet, quia simul ac lex nova obligare incepit, incepit etiam necessitas Baptismi, quæ statim exclusit utilitatem cujuscumque alterius remedii, ut in fine libri præcedentis declaravi.

11. *Confirmatur tradita conclusio.* — Accedit quod nullum est fundamentum ponendi tantam obligationem vel necessitatem in instanti mortis Christi, quia, licet tunc fuerit consummata redemptio, non fuit consummata forma legis necessaria ad obligandum; et similiter, licet tunc fuerit consummatum testamentum, vel fœdus, non tamen tunc fuit apertum aut declaratum sufficienter. Imo si prædicatio facta vivente Christo erat sufficiens ut lex illa posset obligare in puncto mortis, nulla esset ratio cur antea non obligaret. Quia consummatio redemptionis non erat necessaria, ut Christus posset suis legibus statim obligare audientes, si vellet, sicut potuit dare suis sacramentis utilitatem et efficaciam ante mortem: unde ergo ostendi potest obligationem fuisse suspensam usque ad mortem, si præcesserat promulgatio sufficiens, vel necessaria non erat. Igitur sicut antea non obligavit hæc lex, ita nec in morte vel resurrectione.

12. *Legem novam non incepisse obligare ante diem Pentecostes.* — Secundo, ex dictis concludo legem novam non incepisse obligare ante diem Pentecostes. Probatur facile ex dictis: nam sacramenta hujus legis ante mortem Christi instituta, non fuerunt sub majori necessitate proposita aut promulgata toto illo tempore, ut ex Evangelii constat; alia vero sacramenta vel mysteria quæ in illis diebus instituta sunt, eodem fere modo a Christo sunt privatim tradita sine publica lege, vel promulgatione. Et ideo Christus recessurus ab Apostolis, eis dixit: *Euntes docete omnes gentes, et prædicate Evangelium*, utique post receptum Spiritum sanctum; nam de priori tempore dixerat: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*, quia talem diem, dispensationem, et modum ad promulgationem

sux legis præfinierat. Denique addi potest optima congruentia, quia Christus non completit institutionem suæ Ecclesiæ ante tempus proximum Ascensioni, ut patet ex Joann. 20, ubi sacramentum poenitentiae instituit, et specialem potestatem dedit sacerdotibus ad remittenda peccata, et Episcopos vel Apostolos creavit. In capite autem 21 creavit Petrum in summum Pontificem, in quo fundanda erat Ecclesia, juxta promissionem factam Matth. 16. Non est ergo verisimile Christum tulisse suam legem ut obligantem, priusquam esset Ecclesia pro qua illam legem ferebat.

13. *Lex nova cepit obligare in die Pentecostes.* — Tertio, addo legem novam incepisse obligare in die Pentecostes. Hæc assertio, suppositis præcedentibus, certa est, et dici potest communis theologorum, quantum ad hoc quod nullus eorum amplius differendum censuit hujus obligationis initium. Et ratio est, quia in illo die facta est sufficiens promulgatio hujus legis Hierosolymis; sed nihil amplius desiderari poterat ad ejus obligationem; ergo non est amplius dilata, sed statim incepit. Unde Act. 2, cum ad prædicationem Petri quidam compuncti corde interrogarent. *Quid faciemus, viri fratres?* respondit Petrus: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum*; et infra additur post multa alia verba dixisse Petrum: *Salvamini ab ista generatione prava*; et qui receperunt sermonem fuisse perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. Ex quibus constat ad litteram implevisse Petrum quod Christus jussit: *Baptizate eos, et docete eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Tunc ergo cepit Baptismus obligare, et esse necessarius ad remissionem peccatorum, et qui baptizabantur fiebant membra Ecclesiæ Christi Petro subiecta, et consequenter tota lege Christi obligabantur, et ideo secundum illam statim vivere incepserunt, ut ex eadem historia constat.

14. *Dubitatio.* — Ulterius vero explicandum superest an in illo die statim obligaverit omnes Judæos, id est, non tantum eos qui erant Hierosolymis (de quibus res videtur clara), sed etiam omnes qui erant in Judæa, vel etiam illos qui erant dispersi per varias provincias orbis. Aliqui enim ita affirmant, quia lex sufficienter promulgata statim ac simul obligat in tota ditione principis legislatoris; item quia lex promulgata non prius obligat

quosdam subditos quam alios: ergo aut lex nova non statim obligavit Judæos Hierosolymis existentes, quod dici non potest, vel simul omnes alios obligavit. Denique videtur hoc fieri verisimile, quia illa promulgatio facta est in civitate (ut sic dicam) metropolitana illius populi, et in die in quo ibi erant congregati Judæi ex omni natione quæ sub cælo est, et magna solemnitate, et cum magnis signis de cælo datis: ergo erat sufficiens illa promulgatio, saltem pro tota natione seu synagoga Judæorum.

15. *Legem novam non simul obligasse Judæos ubique existentes, sed obligationem successive fuisse diffusam.* — Sed nihilominus verius censeo hanc legem non simul obligasse Judæos ubique existentes, sed incepisse tunc obligare, et postea successu temporis obligationem fuisse diffusam per totam Judæam, Samariam, et alias provincias. Quam sententiam esse consentaneam Patribus et theologis statim ostendam loquendo de gentibus; nunc sufficienter probatur ex principio supra posito de promulgatione legis positivæ, scilicet postulare tempus sufficiens ut notitia legis seu promulgationis ad distantia loca deferatur, ut lex in illis obliget. Hæc enim conditio ex natura rei requiritur in lege hominibus imposita, quia homo non est alio modo capax notitiæ legis, ac subinde neque obligationis: et ideo etiam in lege divina necessaria est, ut paulo antea in simili explicuimus: nam eadem est ratio de promulgatione, et tempore necessario ad applicationem seu divulgationem legis. Quamvis ergo promulgatio legis novæ facta Hierosolymis in die Pentecostes fuerit sufficiens pro illo loco, non tamen pro omnibus in quibus Judæi habitabant, vel certe licet in ratione promulgationis dicatur sufficiens simpliciter, nihilominus non potuit habere virtutem ad obligandum statim in loco distant, quia non poterat humano modo simul ad omnia deferri et applicari: necessarium ergo fuit tempus, ac subinde oportuit ut obligatio successive diffusa fuerit. Neque est inconueniens ut eadem lex prius obliget subditos præsentis quam distantes, imo hoc est intrinsecum et connaturale legi humanæ, id est, hominibus impositæ. Quod autem eo die fuerint Hierosolymis Judæi ex omni natione, potuit quidem deservire, ut illa promulgatio brevius et facilius divulgaretur per eorum provincias, non tamen potuit sufficere ut actu obligaret simul omnes in illis habitantes, propter rationem factam; et hæcenus de Judæis,

16. *Certum est legem novam non obligasse Gentiles ante diem Pentecostes.* — *Limitatio quorundam.* — *Refellitur.* — Superest dicendum de gentibus, de quibus tanquam certum supponimus legem hanc eos non obligasse ante diem Pentecostes; nam quæ dicta sunt de Judæis, a fortiori idem probant de gentibus, et ex dicendis constabit. Neque in hoc videtur esse ratio dubitandi. Solum invenio quosdam theologos asserentes Gentiles fuisse obligatos ad Baptismum, si in Christum credere inciperent, etiam ante passionem ejus. Ita docet Soto dicto art. 4, circa medium, in replica: *Sed arguis, quia cum illi, inquit, circumcidi non possent, tenebantur baptizari.* Idem sequitur Medin. 1. 2, q. 103, art. 3, vers. *Sed etiam*, etc. Hæc vero sententia mihi valde displicet, quia necessitas Baptismi non magis est proposita gentibus quam Judæis, vivente Christo, imo multo minus, quia eo tempore Evangelium non prædicabatur per se et directe gentibus, juxta verbum Christi Matt. 15: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*; et Matt. 10: *In viam gentium ne abieritis*. Præterea præceptum Baptismi indifferenter datum est, vel indicatum illis verbis; *Nisi quis renatus fuerit, etc.*; ergo illa necessitas non fuit major in gentibus quam in Judæis ante passionem. Et ideo D. Thom., 3 p., q. 66, art. 2, absolute et generaliter dixit quod *necessitas utendi Baptismo indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem Domini*. Denique non video qualis sit illa argumentatio: *Quia gentiles circumcidi non poterant, tenebantur baptizari.* Nam imprimis assumptum est falsum, quia licet Gentilis circumcidi non teneretur, poterat tamen, si vellet, fieri proselytus, neque enim hoc erat magis prohibitum Gentilibus, vivente Christo, et ante passionem ejus, etiamsi in illum crederent, quam antea, ut a fortiori patet ex dictis in fine libri præcedentis. Ac deinde illatio non habet fundamentum; supponit enim circumcisionem aut Baptismum fuisse illo tempore necessarium gentibus credentibus in Christum ad eorum salutem, quod falsum est et sine fundamento. Quia adultis contritio cum dilectione, parvulis autem remedium legis naturæ sufficere poterat. Nam contritio de se erat sufficiens, et in homine Gentili non includebat votum circumcisionis, ut per se constat, nec etiam votum Baptismi pro illo tempore pro quo nondum erat necessarium. Remedium autem legis naturæ tunc vigeat, imo et aliquo tempore post Christi mortem, ut